

adimi & revocari legata posse, constat ex *tt. ff. d. adim. vel transf. leg.* quòd autem tacitè hic subsit conditio, videtur in allegata dispositione vocula ET indicare, significans causam finalem præcedentis, ac votum Testatoris ratione sepulchri electi conjungens cum voluntate præstandi Legati in illum ipsum casum; quâ finali causa cessante, cessat sine dubio ex præsumpta testatoris mente quod sub ipsâ fuit electum. *arg. l. 2. §. ult. de donat. l. 1. §. 5. ibique Gloss. & Bart. ff. de postul.* Itaque contrarium potius tenendum est, & anniversarium illi Ecclesiæ præbendum, in quâ testator sepeliri voluit, ac cui re ipsâ corpus ejus illatum est. Voluntates enim hominum, quibus fieri potest modis implendæ & sustinendæ sunt. *l. 5. ff. testam. quemad. aperiant.* Limitamus tamen hanc nostram sententiam, nisi testator certum sepulturæ locum in Ecclesiâ elegerit, & hic locus illi per superiorem assignatus fuerit. Licet enim nec dominium nec possessionem habeat, attamen quasi dominium & usus illius sepulturæ ipsi conceditur, quò mediante ipse jus inferendi habet, nec potest alius, invito eò, sepeliri in prædicto loco, sicque in præjudicium Ecclesiæ fieret, si postea suam sententiam mutaret, & legatum illi adimeret, quæ tempore hoc intermediò usum hujus loci aliis, quibus fortean arrisit, nec tradere nec vendere potuit. *Archidiacon. c. præcipienti 12. q. 2. Lambertin. d. jur. patronat. lib. 3. qu. 5. art. 4. n. 2. conf. Coras. ad l. 14. §. servitus. n. 8. ff. d. Servitut.* Secundò limitamus, nisi factò & culpâ defuncti præter ejusd. votum acciderit, quò minùs in illâ Ecclesiâ tumulo mandari potuit, ut, quia decessit excommunicatus, vel aliâ ratione Ecclesiasticâ sepulturâ se indignum reddidit, nam hoc casu nihilominùs Ecclesiam consequi legatum putant *Bald. in l. si quis ad declinandam col. fin. C. d. Episc. & Cler. Cacer. d. l. n. 34.* Aliud obtineret, si factò ipsius Ecclesiæ contingeret, quò minùs defunctus ibi sepeliri possit.

13 Hâc occasione *Queritur* etiam: *si in illâ civitate, ubi quis præcipit*

cor-